



OTfridus natione Teutonicus, Rabani Mauri abbatis Fuldenſis olim diſcipulus & auditor fuit. poſtea ut literis rectius operam nauaret, Vviſſenburgēſis monaſterij monachus factus eſt, atq; ordinem S. Benedicti ſuſcepit. Ibi adeò in omnibus diſciplinis profecit, ut philoſophus, Rhetor, Poeta, & Theologus præſtantiſſimus habitus fuerit. erat enim excellētis ingenij, & naturali inſuper eloquentia præditus. Scripſit iſ ſoluta & ligata oratione multos libros, quibus nomen ſuum ad poſteros tranſmiſit, utpote opus magnum in Euangelia ad Luithpertum Archipræſulem Moguntinēſem, & cōmentarios in Pſalterium, unà cum alijs. Exem

plo etiam Caroli Magni Imperatoris conatus eſt Germanicæ linguæ Barbariem ad regulas Grammaticales reducere, ut cōmodius ſcribi & legi poſſet. quod etiam magna ex parte perfecit. Hinc factū cum inter primos fuerit, qui patriā linguā in ſcripta retulerit, ut ea quæ ſcripſit noſtra ætate etiā à Germanicæ linguæ perito uix legi aut intelligi poſſint. Vnde meritò eius induſtria apud omnes Germanos omni tempore laudanda. floruit potiſſimūm ſub Lothario & eius filio Ludouico Imperatoribus, anno circiter octingenteſimo ſeptuageſimo quinto.

Trit. in ſcript.